



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. X. Vtrum præter virtutes omnes infundantur cum gratia habituali
dona Spiritus Sancti, quæ sint etiam habitus supernaturales à virtutibus
distincti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

infusus, valde frivolum est: nam testimonia, quæ adducit, nullius sunt momenti, vt late ostendunt alii recentiores Scriptores in illum locum. Sed hunc laborem tanquam inutilem omitto. Tum quia idem Med. q. 51. ar. 4. dub. 1. dicit ex sola scriptura non sufficienter probari de fide infundi virtutes Theologicas. Quomodo ergo affirmare potuit, id probari de aliquibus virtutibus moralibus. Tum etiam quia ex testimoniis, quæ adducit, ad summū probatur, Deum mediante fide, & gratia iuvare hominem ad actus virtutum moralium acquiritorum, vel etiam ad acquisitionem illarum, quod verissimum est, vt lib. 1. vidimus. Et ita sufficienter intelligitur quod de divina sapientia dicitur Sapient. 8. *sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem*, quibus virtus nihil est in vita hominibus. Nam siue id intelligamus de sapientia increata quæ nos illuminat, & iuvat ad opera, illarum virtutum, siue de sapientia creata, quæ est illius participatio, quæ per fidem nobis communicatur, etiam de virtutibus moralibus acquisitis verum est divinam sapientiā docere nos has virtutes? Nam per fidem possumus etiam prudentiam acquirere dirigere. Imo sicut discurrendo speculatiue, ex fide acquirimus Theologiam, ita discurrendo practice possumus prudentiam acquirere: per prudentiam autem docentur, seu diriguntur alie virtutes voluntatis, & simili modo fides docet nos orare, & colere Deum, etiam si ex parte voluntatis contingat illos actus esse virtutis acquisitæ, & ideo quamvis oratio v. g. tribuatur Spiritui sancto ad Romanos. 8. non sequitur esse actum elicictum à virtute religionis per se infusæ. Et ita facile explicantur alia omnia, quæ cum specialiqua probabilitate afferri possunt, alia enim, quæ citantur propter solum nomē virtutis, vt illud. *Qui operatur virtutes in vobis*, ad Galat. 3. indigna sunt, quæ à Theologis afferantur.

14. Addo præterea Concilium Viennense, non solum non definitum de fide hanc veritatem, verum etiam neque novam certitudinem illi addidisse. Primum patet, qui à sententiam illam de virtutibus infusis solum vt probabiliorē approbavit. Secundum patet, quia indefinitè loquitur de virtutibus; ergo sufficienter posset intelligi de Theologalibus, maxime cum Concilium Tridentinum postea alias non nominaverit. Nec refert quod Innocentius III. post fidem, & charitatem dixerit, *& alias virtutes*: nam id solum dixit referendo opiniones, inter quas aliqua etiam tunc erat, quæ morales etiam virtutes infusas admittebat. Inde autem non fit, vt Concilium Viennense illam opinionem approbaverit; imo eligendo alium modum loquendi, ab illa opinione abstrahere voluisse ostendit. Est etiam (quod supra notavimus) maxime considerandum, controuersiam illis locis à Pontificibus relatum, non fuisse, an virtutes infundantur, sed id suppositum fuisse quoad adultos, dubitatum autem fuisse an virtutes, quæ infunduntur adultis, infundantur etiam paruulis, & quoad hoc affirmantem opinionem approbavit Concilium. Quæ vero, vel quot virtutes infundantur, siue adultis, siue paruulis, ibi nec tractatur, neq. approbatum est. Solum ex hypothesi colligi potest ex illo Concilio, quod si virtutes morales infunduntur adultis, infunduntur etiam paruulis, quod verissimum est.

15. Concludendum est igitur, hanc assertionem solum esse opinionem Theologica probabiliorem, non quidem in eo gradu vt contraria temeritatis nota, vel alia simili censeretur, sed solum, vt à pluribus, & melioribus Theologis probatam, & ratione melius fundatam, magisque piā, & modo etiam loquendi sanctorum magis consentaneam. Ita sensisse videtur Caietanus dist. c. 62. ar. 3. & Soto lib. 2. de Natur. & grat. cap. 17. & 18. & fere omnes moderni. Neque aliud sentit Valentia tom. 2. disp. 5. q. 6. punct. 1. vbi hanc sententiam dixit longe veriorē esse, & magis consentaneam scripturæ, & Patribus, quod dici potuit, pars 3.

etiam si ex Scriptura sufficienter non probetur, quia quæ de his virtutibus docet, possunt etiam optime de infusis intelligi, & multæ locutiones in faciliore, & altiori sensu ita intelligentur, vt est illud Sapient. 7. *Imnumerabilis honestas per manus illius*, & quod ex cap. 8. supraretulimus, & illud ad Coloss. 1. *Crecentes in scientia Dei in omni virtute, confortati secundum potentiam claritatis eius*. In Patribus etiam multa inveniuntur, quæ licet omnino non cogant, satis sunt, vt hæc sententia dici possit illis magis consentanea. Augustinus enim tract. 8. in 1. epist. Ioannis dicit Christum in nobis per fidem vti his virtutibus (vtique moralibus) vt ministris suis, & 4. contra Iulian. cap. 3. ex professo docet non esse veras virtutes, nisi per fidem ordinentur ad finem charitatis, quæ possunt intelligi de virtutibus acquisitis, quæ non censentur Christianæ virtutes, nisi informetur charitate, sed altiori modo in virtutibus per se infusis illa verum habent. Allegari etiam solet Augustinus concion. 26. in Psalm. 118. vbi dicit iustitiam esse opus gratiæ. Sed ibi non agit de particulari iustitia morali, sed de illa, quæ iustificat impium. Gregorius etiam Homil. 5. in Ezechielem, & 2. Moral. cap. 26. alias 36. Spiritui sancto tribuit has virtutes morales. Et idem fere habet Ambrosi. 6. Exameron cap. 7. & lib. 5. in Lucam. Ac denique Hieronymus præfat. in Lamentat. Jeremiæ, dixit hominem peccando omnes virtutes amittere, quod melius de his virtutibus, quam de acquisitis intelligitur. Hæc *vide cap. ergo satis sunt, vt hæc sententia magis consentanea illa anima Patribus esse dicatur, cui non parum probabilitatis adiunxit catechismus Ecclesiasticus à Pio V. probatus, qui tractando de Baptismi effectu in illo posuit, d. 2. nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in animam simul cum gratia diuini infunduntur.*

CAPVT X.

Verum præter virtutes omnes infundantur cum gratia habituali dona Spiritus sancti, quæ sint etiam habitus supernaturales à virtutibus distincti?

A Vthores, qui negant dari actus supernaturales diuersæ rationis ab actibus virtutum, & peculia- *1. Sententia Scoti.* ri ratione attributos Spiritui sancto, qui ex singulari eius instinctu fiunt, consequenter etiam negant dari habitus donorum à virtutibus distinctos. In qua sententia sunt Scotus, Maior, Gabriel, & alii, quos cap. 12. & 16. libri præcedentis allegavi, qui præter supra dicta, vt solent hac ratione; quia impossibile est dari habitus donorum, qui non sint virtutes, quia tales habitus non possunt non esse boni, & honesti, imo & optimi, quia ad optimos actus inclinant; ergo reddunt bonum habentem, quia disponunt illum ad bene, & optime operandum; ergo sunt virtutes, quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, seu quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Et alioqui dona ponuntur esse per se infusa, ergo erunt virtutes per se infusæ. Quomodo ergo distinguere poterunt à virtutibus infusis? Verum tamen hæc ratio solum de nomine contendit, ideoque tollenda est ambiguitas vocis: nam generali quadam ratione, & omnes virtutes infusæ dona sunt, quia ab Spiritu sancto dantur, vt eis promoueamur ad salutem æternam, sicut Iacobus dixit. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre lumine.* In qua significatione non solum virtutes, sed etiam gratiæ gratis datæ possunt dona vocari, iuxta illud Pauli ad Corinth. 12. *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, &c.* Imo non solum habitus, sed etiam actus infusi possunt dona Spiritus sancti vocari: nam Apostolus ibi de operationibus præcipue loquitur, & Augustinus dixit, Deum voluisse, vt sint nostra merita, quæ sicut ipsius dona, quod dixit

Virtus quid

Ambiguitas tollitur.

dixit propter actum ex gratia factos. Similiter lato modo, seu genericè loquendo de virtute, omnis habitus honestus ex obiecto est vera virtus, & si à solo Deo fiat in nobis, erit virtus infusa: nam illi conveniat vulgaris definitio virtutis attributa Augusti. erit enim bona qualitas mètis, qua recte vivitur, & nullas male vitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. In hoc ergo sensu non queritur, an præter virtutes infundantur dona, quæ non sint virtutes illo generali modo: nam si talia dona infunduntur, evidens est esse bonas mentis qualitates, quibus nemo male vitur, cum eis non vitur, nisi motus à Spiritu S. qui talia dona solus in nobis operatur. Nihilominus tamen applicata sunt illa generalia nomina ad significandas diversas species bonorum habituum, quæ sumuntur ex diversis modis honeste operandi, scilicet ordinario modo, & quasi per proprium motum, & discursum, vel ex speciali instinctu, & motione Spiritus sancti. Et nomen virtutis accommodatum est habitui operanti bonum, quæ ex propria motione hominis, nomen autè doni per antonomasiam dicitur de habitu, quo fit homo bene mobilis à Spiritu sancto, ipsum specialiter instinctu mouente. Ratio ergo facta solum probat hæc dona habitualia, si dantur, esse virtutes generatim, & abstractè loquendo, non tamen probat esse illas virtutes, quas præcedenti capite explicuimus, possunt enim esse specie distinctæ, & ad indicandam distinctionem propter specialem proprietatem, dona appellari, ut nomina, quib. distinctè loqui possumus, habeamus.

Quid opposi-
taratio pro-
bet.

Habitus do-
norum di-
stincti ab ha-
bitibus vir-
tutum possi-
biles sunt.

Ad omnem
actum im-
manentem
supernatura-
lem potest in-
fundi prin-
cipium ali-
quod super-
naturalis.

Valentinus
2. som. disp. 5.
q. 8. punct. 1.
S. Val. igi-
tur, non ad-
mittitur.

Supposita ergo distinctione supra explicata inter actus donorum, & virtutum, evidens est, possibiles esse habitus donorum distinctos ab habitibus virtutum, posseque à Spiritu sancto simul cum habituali gratia infundi. Probatur, quia si actus donorum sunt possibiles, etiam potest infundi qualitas, quæ in nobis sit principium intrinsecum producendi tales actus, & in nobis permanent, cessante actu, quem habitum vocamus. Probatur assumptum, quia nulla est ratio, cur hoc repugnet in his actibus potius, quam in illis, cum omnes sint supernaturales in substantia, & consequenter voluntas æque indigeat supernaturali principio, quo fiat potens ad hos actus efficiendos. Neque etiam hinc potest ratio, cur si tales actus secundi supernaturales sunt possibiles, non sit etiam possibilis actus primus, qui sit principium illorum per modum habitus. Vnde regula generalis est, ad omnem actum immanentem supernaturalem posse infundi internū principium supernaturale, saltem ex parte potentie eleuans illam, sicut ad visionem beatam datur lumen gloriæ, & ad dilectionem Dei datur habitus charitatis, & eadem ratio est de cæteris, ut dixi. Vnde etiam concluditur, tales habitus donorum, si dantur, esse specie distinctos ab habitibus virtutum, quia habitus specificantur, & distinguuntur per actus, & obiecta, sed ostensum est, actus donorum specie distingui ab actibus virtutum ex diverso obiecto formali motu; ergo etiam habitus donorum, si dantur, erunt specie distincti ab habitibus virtutum. Vnde non probo, quod vir quidam doctus scripsit, habitus donorum perficere potentias in ordine ad eadem opera, ad quæ virtutes concurrunt ordinario modo, sub alia tamen ratione, quæ peculiariter procedunt ex diuino Spiritus sancti instinctu. Nam in eodem actu considerare possumus, quod procedit ex peculiari instinctu Spiritus sancti, & sic refertur ad donum, & quod procedit ab homine, ut agente quodam secundo, quo pacto proprie elicitur à virtute. Hoc, inquam, non probo, quia interni actus voluntatis doni, & virtutis substantialiter distinguuntur ex motibus propriis, & quando homo operatur ex dono, solum ex motu talis actus operatur. Ergo talis actus nullo modo potest à virtute elici, sicut è contrario, quando virtus operatur ex proprio motu, non concurrat donum. Quod si contingeret (quod non est morale) voluntatem simul, & æque proxime operari ex utroque motu non eliceret unum actum, sed duos, iuxta vera principia de

distinctione moralium actuum in superiori us posita, quia non possunt duæ species essentialiter distincte æque primo in viam entitatem coalescere, neque habitus possunt concurrere ad tertium quendam actum specie distinctum à propriis. Si ergo admittitur hi habitus donorum non sunt confundendi cum virtutibus, quoad efficientiam actuum. Neque illa duplex consideratio actus, ut ab Spiritu S. vel, ut ab homine, quidquam iuuat: nam etiā in actu doni, ut sic, inuenitur ille duplex respectus, quia essentialiter utrumque includit, nam & est actus vitalis, & liber, ut est voluntatis. Quamvis ergo actus doni eliciatur ab homine, ut agente secundo, non ideo elicitur à virtute, nec sub tali ratione considerari potest. Ob hanc ergo causam habitus donorum possibiles sunt.

Nihilominus tamen, in quaestione de facto aliqui opinati sunt non oportere dona Spiritus S. infundi per modum habitus, etiam si per modum actus conferantur. Ita sentit Vazquez 3. pa. disp. 4. c. 2. n. 7. ubi refert Alesium dicentem, actum doni timoris esse elicatum à virtute humilitatis, nec postulare habitum distinctum ab illa, quod, inquit, nostra doctrina non aduerfatur, cum alioqui dicimus dona Spiritus S. non esse peculiare habitus distinctos ab habitibus virtutum, sed esse peculiare actus, ubi definitur profert sententiam de habitibus, quam in decem reliquerat. 1. 2. disp. 89. c. 2. Dum autem discrimen constituit inter actus, & habitus, videtur cedere actus donorum essentialiter distinctos ab actibus virtutum, alioqui non magis erunt dona peculiare actus, quam peculiare habitus: si enim donum non esset, nisi actus quidam virtutis cum quadam perfectione accidentaria, etiam habitus virtutis à quo procedit, quatenus potest esse principium actus sic perfecti, erit donum in habitu. Et ita exitimo, consequenter loquendum esse, iuxta opinionem Scoti, & aliorum, qui illam sequuntur, & fortasse idem sentit dictus author: nam si sentiret, actum doni esse distinctum ordinis ab actibus virtutum, profecto non diceret elici à virtute. Vocauit ergo peculiarem actum, quia non quilibet actus virtutis, sed heroicus, vel peculiaris modo factus nomine doni significatur indicatque hanc denominationem non refundi in habitum, quia ex actuali instinctu Spiritus S. sumitur. Vnde in posteriore loco negat dona, quæ sunt habitus, ex loco statim colligi. Ex alio vero Theologo non inuenio, qui neget dona esse habitus: nam qui dicunt actus donorum non essentialiter, sed in modo accidentali differre ab actibus virtutum, nihilominus dicunt, dona esse habitus eosdem, qui sunt virtutes. Qui autem distinguunt dona à virtutibus, tam de habitibus, quæ de actibus communiter loqui solent, ut statim referam.

Non caret tamen hæc sententia difficultate, etiam positis actibus donorum eo modo, quo in superiori libro à nobis explicati sunt. Primo quia illi actus donorum extraordinarii, & rari sunt, quia per motiones singulares, & extra communem legem fiunt, ergo propter illos actus non oportet habitus ponere, quia habitus solum dantur ad ordinarium operandum: superfluum enim videtur, ad illos effectus, qui raro, & extra legem fiunt dari habitus, qui in multis erunt perpetuo otiosi, & in paucis, ac in ipsis raro operabuntur. Exemplum accommodatum est de actu cognitionis prophetie, qui in se quidè supernaturalis est, & nihilominus ad illum non datur habitus, quia rarus, & extraordinarius est. Secundo idem suadetur ex ratione, & modo operandi habituum, qui est, ut eius actio subfit voluntati habentis: nam habitibus virtutum cum voluntate volumus, at vero licet habitus donorum infunderetur virtutibus, non possent illis uti, cum vellent, quia ille usus esse debet ex extraordinaria motione Spiritus S. ergo ad tales actus non sunt ponendi habitus: nam semper sufficit actualis motio, quæ pro tunc, seu quādiu durat, solet habere eandem efficaciam, quam habitus. Et confirmatur amplius, quia habitus infusi dantur ad agendum cōnaturali modo, isti autem actus nunquā fiunt cōnaturali modo, cum per extraordinariam motio-

motiōem, & præter legē semper fiant. Tertiū argu-
mentū, quia neq; ex scriptura, neq; ex Patribus hi ha-
bitus colliguntur. In his autē rebus supernaturalibus
nihil asserendum est, quod reuelatum, vel traditum
non sit. Antecedens de scriptura probatur, quia tantū
colligi solent hi habitus ex verbo Isa. 11. *Requiescet super*
eum spiritus Domini, quæ verbum, requiescet, videtur si-
gnificare habitualem permanentiā, sed hoc nō neces-
sario significat infusionem habitus, sed assistentiam
quandam spiritus S. ad mouendum iustum, quando
oportuerit, ad similes actus. Sicut dici potest demon-
strare quod, & ad hoc est paratus, etiam si illi habitū
non tribuat. Cætera autem verba Isaia: potius signifi-
cant actum, quam habitum; appellat enim illa dona
spiritus, quia sunt motiōes quædam, quæ per Spiritu-
m S. fiunt. Et eo dem modo loquuntur de his donis
Patres libro præcedenti allegati. Et in cap. *Maiores*, de
Baptismo, & Clement. vnic. de Summa Trinit. nulla
fit mentio de donis, sed tantum de gratia, & virtutib.
quæ dicuntur infundi quoad habitum. Solum Concil.
Trident. dixit iustificatiōem fieri per voluntariam
susceptionem gratiæ, & donorum. Verum tamen nō
est verisimile, ibi loqui Concilium de specialibus do-
nis spiritus S. cum de eorum actibus nullam mentio-
nem in tota illa sessiōe fecisset. Loquitur ergo de
donis generali significatione supra declarata, & ita-
tim videtur Concilium explicare illa dona esse fidem,
spem, & charitatem.

Hæc quidem argumenta conuincunt, rem hanc ad
fidem non pertinere, sed esse incertam. Nihilominus
tamen probabilius est, infundi iustis simul cū gratia
habitus donorum specie distinctos ab habitibus vir-
tutum infusarum. Ita docet D. Tho. 1. 2. q. 68. per totā,
Bonau. Richar. & alii in 3. d. 24. Henric. quodlib. 4. q.
23. & alii quos in superiori libro retuli. Qui omnes pō-
derant verbum Isaia: *Requiescet*, quod significat habi-
tualem permanentiā, quia sicut non dicitur spiritus
venire ad aliquem, nisi incipiat in illo aliquid opera-
ri, ita nō dicitur requiescere in illo, nisi quia cōtinue,
& semper aliquid in eo operatur. Et sic etiam cōmu-
niter Theologi habitualem gratiam colligunt (vt su-
pra vidimus) ex illis verbis Christi. *Alium paraletum*
habui vobis, vt maneat vobiscum. Et iterū. *Qui apud vos ma-*
nebit, & in vobis erit. Et iterum. *Ad eum veniemus, & ma-*
nebimus apud eum faciemus. Immerito tōq; comparatur re-
quies spiritus S. in iusto cū habitatione demonis in
peccatore: nam demon impropiet; & solum sū quan-
dam moralem æstimationem propter solum statum
culpe dicitur habitare in peccatore, quia ius quoddā
sū ordinem diuinæ iustitiæ in ipsum acquirit, nō ve-
ro quia aliquid permānēs posuit in eo efficere. Ad Spi-
ritus S. dicitur venire ad hominem, quia in illo nouo
modo operatur, ergo quando ita venit ad hominem,
vt in eo quiescat, permānēt in eo effectum habet,
qui non potest esse nisi habitus; ergo cum per hæc do-
na dicatur quiescere in homine, satis probabiliter
colligitur illa esse habitus. Vnde etiam fit, esse habitus
per se infusus, tum quia specialiter attribuitur Spi-
ritui S. & per antonomasiam vocantur dona eius, tā-
quam maxime gratis collata, hoc enim nomen doni
præ se fert, vt D. Tho. indicauit. Tum quia dantur ad
elicendos actus per se, & etiam in substantia superna-
turales. Et ex eisdem actibus, & ex modo, quo per hæc
dona fiunt, concluditur esse distinctos ab habitibus
virtutum, vt satis explicatum est. Ratio autem ponē-
di hos habitus eadem est, quæ de cæteris infusis. Nam
sicut est regula generalis, ad omnem actum superna-
turalem esse possibilem habitum, ita etiam est gene-
ralis regula providentiæ diuinæ, ad omnes actus su-
pernaturales pertinentes ad iustorum sanctificatiō-
nem infundi proportionales habitus. Quæ ratio re-
spondendo ad obiectiones euidentior fiet.

Ad primū respondetur, quod licet inter actus do-
norum quidam, qui ab ordinariis legibus exorbitāt,
raro fiunt, nisi ex instinctu spiritus S. nihilominus nō
pars 3.

sunt illi ad æquati actus horū habituum, sed per illos
tantū per notiores peculiarem modum operandi Spi-
ritus S. per hæc dona explicamus, pōtamen, & solet
spiritus S. etiam in aliis materiis virtutum, quæ vel
sunt in præcepto, vel in consilio, hoc peculiari modo
hominem ad operandum mouere, ita vt in eadē ma-
teria, in qua posset homo operari ex virtute, tūc alio
modo ex dono operetur, ideoq; isti habitus nec sūt
otiosi, nec raro operantur, si iusti in gratia multo tē-
pore perseveret, & motiōibus spiritus S. obtempe-
ret. Ad sū respondet optime D. Thomas, quod licet
actus donorū sint ex speciali motiōe spiritus S. ni-
hilominus hos habitus requiri, vt per illos reddatur
homo facile mobilis ab Spiritu S. quod nō est ita in-
telligendum ac si isti habitus essent tātum dispositiō-
nes passivæ ad recipiendam motiōem spiritus S. quia
in hac motiōe homo non se habet mere passivè, sed
ita agitur, vt etiā se agat eliciendo actus, ad quos mo-
uetur, & ideo indiget habitibus, quibus & potestati,
& inclinationem accipiat ad illos actus, & ita fit fa-
cile mobilis ab Spiritu S. Ad obiectionem autem, quia
habitibus vtimur, cum volumus, respondemus, hoc
non ob stare, quominus in operibus gratiæ excitatio,
& motio spiritus S. præcedere debeat, quæ in hoc mo-
do operandi potest esse altioris rationis, & ea nō ob-
stante, homo libere consentit, & elicit moralem actū
doni, & ita vtitur habitu, cum vult. Et eadem ratio-
ne ex parte habitus connaturaliter operatur, quam-
uis modus operandi sit ex peculiari motiōe Spi-
ritus sancti, quia hoc ipsum cōnaturalē est tali habitui.

Atq; ex his inferitur, hos habitus donorum infundi
omnibus iustis, tum quia participant integre creatā
iustitiam animæ Christi, cui data sunt hæc dona, & in
illo censetur promissa omnibus iustis, vt supra de a-
ctibus explicauimus, & est eadem ratio de habitibus.
Tum etiam, quia decet iustum esse facile mobilem ab
Spiritu S. in his, quæ ad propriam eius salutē, vel ne-
cessaria sunt, vel conuenientia, ad quæ hæc dona or-
dinantur, & ideo non sunt comparanda cum prophe-
tia, vel aliis gratis gratis datis, quæ ad aliorum com-
modum interdum cōmunicantur. Tum deniq; quia
hi habitus per se spectant ad completum, & perfe-
ctionem iustitiæ, nam dona intellectuālia deferuiunt
fidei, & ad perfectum eius vsum multū conferunt, vt
supra declaratum est. Dona autem moralia perfectio-
res habitus sunt, quā ipsæ virtutes morales, quia circa
easdem materias altiori modo operantur. Vnde ad-
dit idem D. Thomas, hos habitus non solum infundi
omnib. iustis, sed etiam in illis perpetuo permanere,
etiam in gloria. Quod satis cōsentaneū ad testimoniū
Isaia: dictum est: nam si hæc dona fuerunt in Christo,
qui semper fuit beatus, in aliis etiam beatis esse pote-
rūt. De qua re dixi in 1. to. 3. partis disp. 20. Deniq; ad-
dit S. Thom. hæc dona esse necessaria ad salutē, quod
intelligi pōt, vel de necessitate ad melius esse, aut ad
maiorē perfectionem, & ita res non habet difficul-
tatem, vt ex dictis manifestum est, vel potest intelli-
gi de necessitate simpliciter, & sic non caret difficultate,
vel quia actus horum donorum non videntur ad sa-
lutem necessarij, vel quia multo minus sunt neces-
sarij habitus, cum actus possint per actualem gratiam
fieri, si fortasse aliquando necessarij sunt. Accedit
quod cum sit incertū an hæc dona sint habitus infusi,
non est, cur asseramus esse ad salutem necessaria.

Vnde qui negant tam virtutes infusas morales, quā
habitus donorum, non putant esse necessaria dona,
quoad habitus, quia cū gratia non infunduntur, neq;
etiam quoad actus, nisi in quantum ipsi actus virtutū
possunt esse in præcepto. Qui vero admittūt virtutes
infusas, & non habitus donorum à virtutibus distin-
ctos, etiam negabunt dona sub ratione donorum esse
necessaria, quia ille modus operandi ex singulari mo-
tione spiritus S. non est necessarius ad salutem. Qui-
dam vero negātes dona distingui à virtutibus, distin-
guunt inter tria dona intellectuālia, sapientiam, sciē-
tiam, & intellectum, & alia quatuor moralia: nā hæc
qua-

me rationis
opposita sen-
tentia.

Solutio se-
cunda.

7.
Corollarium.

Respondetur
ad exemplū
de propheta.

Etiam in
patria per-
manet ha-
bitus dono-
rum spiritus
sancti.
Dubium.

8.
Pergit du-
bium.

quatuor, cum in re sint idem cum quatuor virtutibus moralibus, ita possunt dici necessaria, sicut ipse virtutes, & habere connexionem, & cum gratia, & inter se, sicut habent virtutes. De prioribus autem tribus donis, etiam si infusa sint, negant esse necessaria, vel habere connexionem cum gratia, quia multi sunt Christiani iusti, qui nulla pollent scientia, vel sapientia, ut aperte *Dona intel* tradit Aug. l. 14. de Trinit. c. 1. & nihilominus per intellectus, ut intellectum, & prudentiam sunt sufficienter instructi ex sapientia, parte intellectus ad salutem, & alioqui haec dona in scientia, & intellectualia possunt facile manere in peccatore, quia intellectus non pendunt ex bonis moribus, & fides videtur esse sufficiens illorum fundamentum.

Sed nihilominus, supponendo haec dona esse habitus infusos à ceteris distinctos, sententia D. Tho. de necessitate, & connexionem illorum satis consequens est ad illud principium, & facile defenditur. Nam quia

9. *Sententiam* haec dona peculiarem addunt perfectionem in ordine ad singularem motionem Spiritus S. merito censentur propria filiorum Dei, in quibus Spiritus S. inhabitat, quod ordo verborum laiae indicat, cum praemittit, *Requiescet super eum Spiritus Domini*. Hinc ergo censentur habere connexionem cum gratia, & ab illa non separari. Non quia non possunt manere cum fide mortua, & illam iuvare, sed quia illa ordinantur ad perfectionem propriae salutis, & fidei, quae statui peccati non est consentanea. Unde etiam fit, ut omnia dona etiam inter se sint connexa, saltem ratione gratiae, in qua radicantur. Denique ob eandem connexionem cum gratia dici possunt necessaria ad salutem, sicut gratia ipsa habitualis necessaria est. Dicitur autem necessaria, non quia per se cadat sub praecceptum: nam praeccepta non dantur de habitibus, sed de actibus, nec quia sine habitibus non possent fieri actus sufficientes ad salutem de potentia absoluta, sed quia sine diuinam ordinationem necessaria est, & homini praecceptum est impositum se disponendi ad illa, quando illa caret, & non repellendi illa quando illa habet. Dicit etiam possunt necessaria dona

Homini *impositum* ratione suorum actuum: in moralibus quidem, quia est praecceptum interdum tenetur homo sequi Spiritus S. instinctum; disponendi in intellectualibus vero, licet fortasse actus non sint sed ad gratiam necessari per modum actus praeccepti, possunt interdum si illa caret, esse necessari per modum auxilii ad fidem, vel charitatem conferuandam opportuni. Unde etiam fieri potest, ut interdum teneatur homo intellectum, & sapientiam postulare. Quia propter non est, cur dubitemus etiam idiotis iustis indoctis, & idiotis hominibus iustis communicari haec dona intellectus, quoad habitum, quia etiam ad simpliciter credendum possunt pro sua capacitate illis donis iuari, vel ad apprehendendas convenienti modo res fidei, vel ad iudicium ferendum de earum convenientia, & credibilitate, quamvis ob defectum specierum, & carerem habitus, & consuetudinis, & doctrinae non valeant vel obscuriora mysteria explicare, vel illa defendere. De qua re August. supra loquebatur. Unde non tractat ibi de proprio dono sapientiae, sed vel sapientiae Theologiae, quae uti acquirimus, vel de sapientia, & scientia, prout inter gratias gratis datae numerantur. Ut exponit S. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 9. ad 2.

10. *Probabilis* Ultimo supererat dicendum de numero donorum quoad habitus. Sed de hoc nihil est certum. Nam, licet ab Isaia septem dona numerentur, multi censent non esse necessarium, illum numerum sumere, tanquam praecisum, ac definitum, sed per septenarium illum numerum mystice fuisse plenitudinem quandam donorum significatam, ut Ambrosius, Cyrillus, & alii Patres allegati superiori lib. c. 12. exponunt, vel poni numerum certum pro incerto, ut ex illis tanquam praecipuis donis alia similia intelligantur. Et quavis probabilius dicatur in omni proprietate septem nominata esse dona Spiritus S. sicut illa in septem actibus supra explicauimus, ad quos omnes motiones Spiritus S. reducuntur, nihilominus necesse non est illis actibus septem tantum simplices habitus correspondere, nec etiam cogimur propter omnes actus distinctos habitus, etiam diuersos ponere. Nam si quis dicat

in potentia intellectiva eundem esse habitum doni, qui efficit actus sapientiae, scientiae, & intellectus, solumque per diuersos respectus ratione distingui, sicut intellectus diuiditur in rationem superiorem, & inferiorem, non multum errabit, licet probabilius sit, illis tribus habitibus tres simplices actus correspondere, quia & inter se habent sufficientem rationem distinctionis, quae ex actibus, & modo procedendi sumitur, & vnusquisque in se habet sufficientem rationem unitatis, ad eum modum, quo fides est vnus simplex habitus in tota materia fidei. De aliis vero donis moralibus, licet merito remouentur ad quaternarium numerum sicut quatuor virtutes cardinales numerantur, tamen sicut virtutes non sunt quatuor habitus tantum (nam sub illis saltem, quae ad voluntatem pertinent, sub vnoquoque membro continentur multi habitus; imo & variae virtutes specie diuersae, ut sunt iustitia, religio, fidelitas, & plures alii) ita de donis facile cogitari potest, ideoque quoad hunc numerum nihil est certum. Quamvis de dono Consilii probabilius sit, esse vnicum simplicem habitum circa totam materiam moralem. Nam etiam virtus prudentiae vna esse censetur iuxta probabilior sententiam, propter connexionem omnium virtutum moralium in ordine ad prudentiam, & propter vniuersitatem quandam in modo iudicandi ex eisdem principiis, quae multo maior in consilio ex motione Spiritus S. inuenitur. De aliis vero tribus donis voluntatis, licet certum sit habitus illorum esse distinguendos ad modum trium virtutum cardinalium, nihilominus incertum est an vnumquodque illorum sit collectio plurium habituum, vel vnus tantum, qui propter eminentiam, & excellentiam suam, & simpliciter modum operandi ex motione Spiritus S. fit veluti vniuersale principium operandi in vnaquaque materia virtutis. De qua realis iudicium relinquo, quia de illa nihil à Theologis dictum inuenio.

CAPVT XI.

Vtrum praeter habitus operatiuos detur iustis habitualis gratia ab illis distincta, & in ipsa anima substantia immediate infusa, tractatur, sententia negans.

Solet haec quaestio à Theologis tractari sub hoc titulo, an gratia sanctificans distinguatur realiter à virtutibus, & specialiter à charitate. Nam de ceteris nulla est, neque esse potest controuersia inter Catholicos, qui consentiunt moraliter peccando gratiam & charitatem amittere, non tamen fidem, & spem, nisi per quaedam peccata illis specialiter contraria. Unde manifestum est, gratiam esse rem aliquam à fide, & spe distinctam. Quod non minus certum est de gratia sanctificante respectu moralium virtutum, vel donorum, quia haec omnia à charitate distinguuntur, etiam ex sententia omnium, qui illa infundi docuerunt. Ergo si gratia est idem, quod charitas, necesse est, ut etiam gratia ab illis donis distinguatur, vel si gratia sanctificans est à charitate distincta, multo magis à ceteris moralibus virtutibus, & donis distinguetur, quia nec virtutes morales, nec dona immediate respiciunt Deum, & ideo nullum illorum potest formaliter per se primo animam Deo gratia reddere. Tota ergo difficultas reducit ad comparationem inter gratiam, & charitatem.

In hoc ergo puncto prima sententia est gratiam non esse aliam formam, nisi charitatem, ac proinde in donis infusis ex vi iustificationis nullum esse praeter ea, quae ad aliquod genus operationis immediate ordinantur. Ita docuit Alenf. 3. part. q. 61. (alias 69.) Mēb. 2. art. 4. Richard. in 2. d. 26. ar. 1. q. 4. Durand. q. 1. Scot. q. vnic. Gabr. art. 2. conclus. 4. Maior. q. 1. Bassol. d. 23. q. 1. Marfil. in 2. q. 17. art. 1. Citatur etiam Bonauentura, sed immerito, ut infra dicam. Et hanc sententiam late defendunt Vega lib. 7. in Trid. c. 25. & Bellar. l. 1. de Grat. & lib. arb. c. 6. & Casp. Cassal. l. 1. de Quadripart. iustit. In duobus autem videtur esse aliqua differentia